DE CNICO▸ CAP▸ CLV▸

NOMINA.

C

Cartamus. Crocus hortensis.

KNIKOΣ græcè, Cnicus & Cnecus latinè nominatur. Officinæ Cartamum & Crocum hortensem appellant. Germani **Wilden gartensaffran** / ad differentiam Atractylidis, de qua suprà dictum est.

FORMA.

Folia habet oblonga, incisuris diuisa, aspera, aculeata. Caules cubitales, in quibus capita oliuæ magnitudine. Florem similem Croco, semen candidum & rufum, oblongum, angulosum.

LOCVS.

Nascitur in hortis & agris satus.

TEMPVS.

Floret Iulio & Augusto mensibus, ac subinde semen etiam profert.

TEMPERAMENTVM.

Tertij est ordinis excalefacientium eius semen, si quis foris eo uti uolet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Huius flore utuntur in obsonijs. Semen tunditᵛ & ex eo exprimitᵛ succus qui cum hydromelite aut gallinaceo iure datus aluum purgat. Stomacho tamẽ aduersatur. Fiunt etiam placentæ quæ aluum emolliunt, si succus eius amygdalis, nitro, aniso, & melli cocto misceatur. Oportet autem ante cœnam in partes quatuor diuisas iuglandis nucis quantitate duas aut tres sumere. Eas hoc modo conficere oportet. Sumatur Cnici candidi sextarius, amygdalarũ tostarum & decorticatarũ cyathi tres, anisi sextarius unus, aphronitri drachma una, caricarum triginta carnes. Seminis succus lac cogit, & ad soluendum aluum efficacius efficit.

EX GALENO.

D Cnici semine duntaxat ad purgationes utimur.

DE CENCHRO▸ CAP▸ CLVI▸

NOMINA.

Milium unde dictum.

EΓXPOΣ Græcis, Milium Latinis & officinis, Germanis **Hirß** appellatur. Nomen, Festo autore, à miliaria summa deriuatum.

FORMA.

Frumenti genus stipula cubito altiore, geniculata, folio arundinaceo, semine in iuba tereti & pendulo, folliculo concluso, radice numerosa, capillata, ac multiplici fruticante culmo.

LOCVS.

Satum in aruis prouenit. In frigido & aquoso solo prius serendum, postea in calido præcipiunt. Gaudet solo limoso uliginosoq́.

TEMPVS.

Augusto mense demetendum.

TEMPERAMENTVM.

Milium primo ordine refrigerat, exiccat autem tertio exoluto, aut certè secundo intenso. Paululum etiam tenuium est partium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Minus cæteris frugibus alit. In panes autem coactum, aut tanquam puls confectum aluum sistit, urinam autem mouet. Tostum uero saccis inditum & fomenti loco appositum, torminibus & alijs doloribus auxilio est.

EX GALENO.

Milium ut ferculum comestum inter omnia frumentacea edulia minimũ nutrimenti confert, Sed & uentrem desiccat, Porrò foris impositum in sacculis idoneum est fo-



MILIVM